

A secreta ueniamus. Seipsum unusquisque attentius respiciat. Interrogemus quid de hoc sentiant proprię cogitationes. Ferat sententiam de naturę bono ipsa conscientia: instruat domesticum magisterio animi, & mentis bona non aliunde magis quęque, quę ab ipsa mente discamus. Quid illud, obsecro, est, quod ad omne peccatum erubescimus, aut timeamus? & culpam facti nunc rubore uultus, nunc pallore monstramus, ac trepidante animo etiam in minimis delictis testem effugimus, conscientia remordemur? ediuerso autem in omni bono laxi, constant, intrepidi sumus, idque si occultum est, palam etiam fieri cupimus & uolumus, nisi quod testimonio sibi est ipsa natura, quę hoc ipso declarat bonum suum, quo ei malum displicet, & dum in bono tantum opere confidit, quid solum eam deceat ostendit? Hinc est illud quod frequenter carnifice occulto, in autorem sceleris conscientię tormenta deseruiunt, & latentem reum secreta mentis pœna persequitur: nec ullus post culpam impunitari locus est, cum sit reatus ipse supplicium. Hinc est quod e contrario innocens etiam inter ipsa tormenta fruitur conscientię securitate: & cum de pœna metuat, de innocentia gloriatur. Est enim, inquam, in animis nostris naturalis quędam (ut ita dixerim) sanctitas, quę uelut in arce animi presidens, exercet mali bonique iudicium: & ut honestis rectisque actibus fauet, ita sinistra opera condemnat, atque ad conscientię testimonium diuersas partes domestica quadam lege diiudicat. Nec ullo proflus ingenio, aut fucato aliquo argumentorum colore decipit: ipsi nos cogitationibus fidelissimis & integerrimis sanę testibus aut arguit, aut defendit. Huius legis, scribens ad Romanos, meminit Apostolus, quam omnibus hominibus insitam, uelut in quibusdam tabulis cordis scriptam, esse testatur. Cum enim, inquit, Gentes quę legem non habent, naturaliter quę legis sunt faciunt, huiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente eis conscientia eorum, & inter se inuicem accusantium cogitationum, aut etiam defendentium. Hac lege usi sunt omnes, quos inter Adam atque Moysen sanctę uixisse, atque placuisse Deo, scriptura commemorat, quorum tibi exempli causa aliqui proponendi sunt, ut facile intelligas, quantum sit naturę bonum, cum eam legis uice docuisse iustitiam probaueris. Abel primus hanc magistratam securus ita dominum promeruit, ut dum ei offerret hostiam, tam grate sacrificium eius acceptum Deo fuerit, ut fratrem in inuidiam concitaret, quem iustum in euangelio dominus ipse commemorans, breuiter perfectionem eius exposuit. Omnis enim uirtutum species uno iustitię nomine continetur. Beatum Enoch ita placuisse Deo legimus, ut eum e medio mortalium raperet, & in mundo consummatum, de mundi habitatione transferret. Noe iustus in generatione sua & perfectus asseritur, cuius sanctitas eo magis est admirabilis, quod toto proflus a iustitia declinante mundo, solus iustus inuentus est, nec ab alio sanctitatis quęsiuit exemplum, sed ipse præbuit. Et ideo totius orbis imminente naufragio solus ex omnibus meruit audire. Intra tu, & domus tua in arcam: quia te uidi iustum in generatione ista coram me. Ante Deum autem ille iustus probatur, qui corpore sanctus est & corde. Melchisedec sacerdos Dei legitur, cuius meritum facile ex hoc intelligi potest, quod multo post futurum domini sacramentum ante signauit, ac sacrificio panis & uini, mysterium corporis & sanguinis expressit, ac sacerdotii sui typo, Christi sacerdotium figurauit, cui a patre dicitur. Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec. Nam & quod benedicit Abraham principem patriarcharum, qui per circumcisionem pater Iudeorum, per fidem gentium, illius signatissime ostendit figuram, qui per fidem suam & Iudeis donauit benedictionem, & gentibus. Lot quoque sancti Noe uirtutem secutus, inter tot peccantium exempla iustitiam non reliquit. Et ut illum totius mundi exemplum non uicit: ita hic tota illa, in qua habitabat, regione peccante, contra multitudinis uitia tenuit sanctitatem. Qui, ut beatus Petrus ait, uisu & auditu iustus erat, & inter pessimos positus, mala eorum oculis uersabat & auribus: atque ideo simili exemplo ut ille diluuii, ita hic est ereptus incendio. Quid Abraham amicum Dei, quid Isaac & Iacob memorem? Quam perfecte impleuerint domini uoluntatem uel hinc possumus æstimare, quod familiari quadam & præcipua dignitate, eorum se Deum uoluit nominari. Ego sum, inquit, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob. Hoc nomen meum sempiternum, & memoriale in generationes generationum. Ioseph fidelis domini famulus a puero, tribulationibus magis iustus & perfectus ostenditur, qui primum a fratribus in seruum Hismaelitis additus est, ab eisque uenditus,